

Ye  
5405

F.K. 20.

AD  
ORATIONEM SOLENNEM  
IN  
MEMORIAM  
ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI  
DOMINI  
AVGVSTI IVSTI  
REGIMINIS  
IN EPISCOPATV MERSEBURGENSI  
CANCELLARII  
LONGE SPLENDIDISSIMI AMPLISSIMIQVE  
FVTVRO DIE IOVIS  
H. L. Q. C  
PVBLICE AB SE HABENDAM  
OFFICIOSISSIME HVMANISSIMEQVE  
INVITAT

BENIAMINVS GOTLIBIVS GERLACHIVS

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE MAGISTER  
GYMNASIOQVE ZITTAVIENSIS  
DIRECTOR



*Hanns Müller  
Mauritius  
emulsius*

**A**cquieuit ergo, anno superiore, VIII Calendas Quindecimiles, in complexu Dei, cui, quoad uixit, coniunctissimus fuit, Vir, tam nobilitate generis et gloria maiorum, quam multa doctrina ac summa prudentia, illustris atque excellentissimus, AVGUSTVS IVSTVS, Regiminis in Episcopatu Merseburgensi Cancellarius spectata fide amplissimus, ac multis eximiisque meritis insignis. Tametsi ille, coelesti iam luce circumfusus, ac rerum, quas inter dubios ancipitesque casus nos speramus adhuc, potitus, curarum nostrarum nihil eget: nostra tamen refert, tantas tanti Viri uirtutes et grata mente repeti, et imitando, quoad eius fieri potest, exprimi. Quomodo autem Viri, tam praestantis, personam, VVeissenfelsae partim, partim Merseburgi, suscepit, recordetur Zittauia nostra, quin suam simul dignitatem reminiscatur, quam ab tam excellenti, quod anno superioris saeculi unde octogesimo, A. D. VII Calendas Martias, edidit, ingenio, quodque praecoluit ac praeparauit, uidet amplificatam.

Nulla quidem facile est prouincia, nulla urbs, quae non peritos aliquot atque ingeniosos homines habeat. Anacharsin Scytham, Zamolxin Getam, Democritum, Abderitem, et Phaedrum, Thraces, Polybium Megalopolis, in Arcadia, natum fuisse, constat. Apud Phryges haud sero sapuit Aesopus, sed mature, et usque eo, ut multos sapere doceret. Boeotia quondam pro stupidiatis atque inficitiae sede uulgo habita fuit, quae robustos magis luctatores, quam doctos uiros, tulerit. Nemo tamen facile tam impudens et audax erit, qui Pindaram, Epaminondam, Corinnam, Cebetem, Thebanos, et Plutarchum, Chaeronensem, stupidos fuisse dixerit et bardos. Negari autem non poterit, alium locum alio, in proferebris praeclaris ingenii, esse fecundiorem. Ne longius atque in disiunctiores terras abeamus, maneamus in patria. Est oppidum in vicina Silesia, elegantium partu ingeniiorum minime obscurum, Leoberga nomine, quod non unum itemque alterum uirum ex doctrina clarum et honoratum edidit, sed integras, quod mireris, familias,

VVirthiorum, exempli gratia, Reusnerorum, Ludouicorum, Sueuorum, aliorum, ex quibus alii Principum, Regum atque Imperatorum gratiam praedicare potuerunt, alii celeberrimas Germaniae Academias ac Scholas mirum in modum illustrarunt, uti ex Caspari Sueui Mne mosyne Leorina pluribus cognoscas. Nihil de aliarum fama regionum ac locorum dignitate, quam ab eruditis suis indigenis habent, quod absit a nobis, uolumus detraetum: hoc tamen de Lusatia, ac sigillatim de Zittauia, sine assentandi studio, iure praedicanus, eam eiusmodi nullo non tempore protulisse ingenia, quae uaria doctrina, exquisita scientia, acerrima industria, diuturno rerum usu, exercitatissima iudicandi solertia, atque aliarum splendore uirtutum cum multis aliis potuerunt certare. Nulla ex disciplinis tam abstrusa et recondita est, nulla tam ardua et sublimis, in qua non Zittauiensium sati multi ita excelluerint, ut qua doctrinam, qua uirtutes, qua dignitatem, quae comitari uirtutes amat, paucos sibi habuerint pares. De rei ueritate nemo, opinor, uel addubitauerit, qui Nefenos, Engelmanos, Kohlios, Hartigios, Nasones, Lanckios, Iustos, Stollios, Girios, Hesteros, Ientschios, horumque similes, recordari uelit. Fuerunt quoque non pauci ex eruditis Zittauiensibus, qui extra patriae fines sedem ac domicilium collocarunt, ac, tum in sacrorum munierum functionibus, tum in Principum Aulis aliisque celeberrimis Rebus publicis, tum in Academias ac Scholis, praeclarae suae doctrinae, sapientiae atque experientiae, cum insigni patriae ornamento, specimina dederunt. Quorum in numero iure merito que reponimus Heidenreichios, fratres, Helmericos, Kindermanos, Pladecios, Antonios, Seligmanos, Mascos, Kohlios, Loniceros, Berbalccios, Denicrios, Burg hardos, Eichleros, Lehmanos, Haselhunios, Fleischmanos, Loeuenthalios, Klingerios, Kieflingios, Meureros, Schindleros, Moelleros, Hofmanos, Clemasios, Dobritios, Hartigios, Monachios, Rodochfios, Pogonios, Paschas, Retellios, Berghusios, Sternbergeros, Schmidios, Thilones, Maios, Hubneros, tot alios.

*Jkye 5405*

X 3387033

Huiusmodi praeclaris, quae Zittauia tulit praepara-  
uitque, ingenii, quaeque foris patriae suae magno ho-  
nori semper fuerunt et ornamento, uel in primis illustris  
atque excellentissimus Cancellarius noster, AVGVSTVS  
IVSTVS, merito ac iure annumerandus est. Is enim, pa-  
ternis auitisque exemplis excitatus, ita semper se gesit,  
ut magnam sui expectationem non modo sustinuerit, sed  
etiam superarit. Namque in consiliis, iudiciis, omniue  
uitae cursu, officium fecit Viri, prudentia praestantis, at-  
que idonei, ad grauissimam, quam gesit, personam, vir-  
tute tuendam. Aptus fuit, ad res magnas, labore iudi-  
cioque par. Quanta praeditus cognitione, tanta rerum  
tractatione. Prouidus deliberando, celer agendo, di-  
gnus omnino, qui magnorum Principum consiliis adhibi-  
tus, in perpetua Aularum luce uersaretur.

Colamus igitur, ac posteris prodere studeamus, me-  
moriā Viri, tam illustris, tamque benefici, ut erga mul-  
tos alios, sic etiam, quod minime aetate nostra fieri saepe  
solet, erga illos, qui in Gymnasio patrō, in quo ipse adole-  
scens bonis artibus ac disciplinis bene institutus fuit,  
nunc, et in posterum quoque, in formanda erudiendaque  
iuuentute operam ponunt, atque, grata meritorum com-  
memoratione, eandem Oratione publica renouemus.

Ad quam Orationem, proxima die Iouis, ab hora  
VIII matutina, in Acroaterio superiore, beneuole audi-  
endam, ut Magnificus atque Amplissimus Senatus haud  
grauate conueniat, atque item reliqui Literati, cuiuscun-  
que ordinis sint ac dignitatis, honoratissimi, uel illustris  
excellentissimique Cancellarii, coelo recepti, ueneratio-  
ne permoti, concione frequentissima confluant, quo  
postūmus studio et humanitate, contendimus atque ro-  
gamus. P. P. A. D. XIV Calend. Quintiles, quem diem  
sanctiores Fasti attribuunt Dominicæ III S. Triados,

A. S. R. ∞ 10 CC LII.

---

ZITTAVIAE LITERIS IO. GOTTL. NICOLAI.



Ye  
5405

F.N. 20.

AD  
ORATIONEM SOLENNEM  
IN  
MEMORIAM  
ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI  
DOMINI  
AVGVSTI IVSTI  
REGIMINIS  
IN EPISCOPATV MERSEBURGENSI  
CANCELLARII  
LONGE SPLENDIDISSIMI AMPLISSIMIQVE  
FVTVRO DIE IOVIS  
H. L. Q. C  
PVBLICE AB SE HABENDAM  
OFFICIOSISSIME HVMANISSIMEQVE  
INVITAT  
BENIAMINVS GOTLIBIVS GERLACHIVS  
AA. LL. ET PHILOSOPHIAE MAGISTER  
GYMNASIIQVE ZITTAVIENSIS  
DIRECTOR



Haus mit  
Mußay  
emulfor

